

**Iacobi Geelii Schediasma de loco
Clementis Alexandrini Strom. VI.
p. 624. Sylb.**

Advertit me nuperrime Osanni commentatio in Museo Rhen. Ann. II. p. 495—510. de sophista Hippia archaeologo. Quoties enim disserentem aliquem video de sophistis Socratici temporis, renovatur mihi memoria strenui nec tamen satis fructuosi laboris mei, quippe ab imparato, invitante materia, suscepti, et ab iudicibus certaininis nimis benigne probati. Itaque retractandi operis, quod iamdiu destinatum occupationes meae interceperunt, effecit consilium, ut quae viri docti ab viginti inde annis de eodem argumento disputaverunt, quantum potui, diligenter exploraverim: in quibus nunc haec est commentatio Osanni, viri perdocti et ingeniosi, mihiique bene cupientis: quod enim dolere se professus est, librum meum adhiberi non potuisse, accipio ambiguae significationis benevolentiani.

Vsus est Osannus loco quodam insigni Clementis Alexandrini, Strom. VI. p. 624. Sylb. quo demonstraret Hippiam Eleum scripsisse opus vel sermonem archaeologicum. Minus recle eum Clementis verbis usum esse si ostendero, haud aegre feret, sat scio, vir egregius: qui si erroris me convicerit, gratus amplectar animadversionem.

Clementis verba haec sunt: Άλλ' ἵνα μὴ ἐπιπλέον προΐη
δ λόγος, φιλοτιμουμένων ἡμῶν τὸ εὐεπίφορον εἰς κλοπὴν τῶν
Ἐλλήνων κατὰ τοὺς λόγους καὶ τὰ δόγματα ἐπιδεικνύναι, φέρε
ἄντικρος μαρτυροῦντα ἡμῖν Ἰππίαν τὸν σοφιστὴν τὸν Ἡλεῖον,

ὅς τὸν αὐτὸν περὶ τοῦ προκειμένου μοι σκέμματος ἥκειν λόγον παραστησάμεθα ὡδέ πως λέγοντα·

Τούτων ἵσως εἴρηται τὰ μὲν Ὁρφεῖ· τὰ δὲ Μονσαίφ καταβραχὺ, ἔλλοι ἀλλαχοῦ· τὰ δὲ Ἡσιόδῳ· τὰ δὲ Ὄμηρῷ· τὰ δὲ τοῖς ἄλλοις τῶν ποιητῶν· τὰ δὲ ἐν συγγραφαῖς· τὰ μὲν Ἐλλησι· τὰ δὲ βιοβάροις. Ἔγὼ δὲ ἐκ πάντων τούτων τὰ μέγιστα καὶ ὁμόφυλα συνθείς, τοῦτον κατένον καὶ πολυειδῆ τὸν λόγον ποιήσομαι.

Nihil differunt in his verbis editio Potteriana et, quod mireris, Klotziana, quamquam ulcus subest, quod quomodo sibi sanaverint, qui silentio transmiserunt, discere pervelim. Et enim in illis φέρε ἀντικρυψ — ὡδέ πως λέγοντα nemo interpretatus est interiecta ὅς τὸν αὐτὸν — ἥκειν λόγον: nam vera interpretatio non est eius, quisquis in Sylburgiana sic verlit: *qui — id ipsum tractabat, quod ad considerandum est nobis propositum.* Quid autem propositum erat Clementi ad considerandum? — fulta, ut puto, literaria Graccorum inter ipsos: hoc nunc agebat, devertens ab disputatione de veterum symbolica. Quid igitur? scripseraatn Hippias de eiusdem generis furtis? — profecto non persuadebit Beckerus, si recte intelligo, in scripto quod mox citabo; ipsa verba Hippiae, ab Clemente laudata, longe aliud eum egisse declarant. Itaque nihil iuvat conjectura Sylburgii, pro ἥκειν corrigentis ἔχει vel ἤχει, ultrumque per se alienum. Osannum quoque haec sisso puto, etiamsi non significaverit: ego denique iam in eo eram ut desperarem de loco depravato, qui reliquorum mihi intelligentiam praecluderet, quum deprehendere mihi viderer imitationem verborum Platonis, in Gorgia, p. 521. e. — οὐχ ἔξω ὃ τὸ λέγω ἐν τῷ δικαστηρίῳ· ὁ αὐτὸς δέ μοι ἥκει λόγος, ὅπερ πρὸς Πλάτονος ἔλεγον: qua admissa, lusit Clemens in minime trita significatione verbi ἥκει, et in eo quoque, ut arbitror, quod utrinque sophistae alicuius partes sunt: erit autem pro ὅς τὸν αὐτὸν corrigendum ὡς τὸν αὐτὸν, id est, ὡστε τ. a. age (inquit) manifesto adstipulante nobis Hippiam sophistam Eleum, ita ut idem sermo (quo ille usus est) ad me per-

tineat in proposita consideratione, adducamus cet. Vnde apparet non nimis premendum esse vim verbi μαρτυρεῖν.

In iis quae sequuntur Hippiae hoc quoque integrum non est, quod Clemens cum dicentem facit: *τὰ δὲ Μονσαίῳ καταβαχὺ, ἄλλῳ ἀλλαχοῦ*. Quo enim referendum ἄλλῳ? ad aliumne nescio quem poetam? — at deinde plenius commemorat eos, quorum nomina omittit: *τὰ δὲ τοῖς ἄλλοις τῶν ποιητῶν*. Locum sic corrigi et interpongri velim: *τούτων ἵσως εἰρηται τὰ μὲν Ὁρφεῖ, τὰ δὲ Μονσαίῳ, καταβαχὺ ἄλλως ἀλλαχοῦ*, i. e. *sparsim alias aliter*: scilicet pertinent haec ad Orpheum et Musaeum, vel quod uterque multa breviora carmina scripserat, in quo ab Hesiodo et Homero differebant, vel aliam ob causam. His contigua denique sic interpongenda: *τὰ δὲ ἐν συγγραφαῖς, τὰ μὲν Ἑλλησι, τὰ δὲ βαρβάροις*.

Excitata Clementi verba Hippiae ita circumscripsit Osannus, ut pro postremis haberet *τοῦτον καὶ πολυειδῆ τὸν λόγον ποιήσομαι*, et in nota monuit, sequentia sibi Clementis, non Hippiae esse verba videri: *ώς δὲ μὴ ἀμοιζον τὴν τε φιλοσοφίαν τὴν τε ἴστορίαν, ἀλλὰ μηδὲ τὴν ὁγητορικὴν τοῦ δημοίσυν ἐλέγχον περιδιδωμεν, καὶ τούτων ὅλή γα παραθέσθαι εὐλογον. Ἀλκματώνος γὰρ κτλ.* Quae quod dubitanter pronuntiavit Osannus, hinc ortum puto, quod quaestionem de celebrato loco Clementino intropicere supersedit: lectores brevitatis causa mittit ad Beckerum (Seebode, Neues Archiv. etc. 1. Jahrg. p. 71) quem ubi consulueris, *ἀπρακτος* redibis. Namque dixerat Ruhnkenius in Hist. crit. Orat. p. LII. „*Vetusissimus grammaticus libro de scriptorum furtis*, quem Clemens Alexandrinus, nihil similem furti actionem veritus, compilavit cet.“ Haec non scripsit, ut suspicatur Beckerus, confundens Hippiam cum vetustissimo grammatico, sed egregie divinans, omnem hanc digressionem Clementis nisi vetusto aliquo scripto *περὶ κλοπῆς*, qua de re haud vulgaria disputavit Cobetius meus in Obss. crit. in Platonem Comic. p. 68. sqq. Quae autem sequuntur apud Clementem post *τὸν λόγον ποιήσομαι*, haec ex aliis quam ex Clementis persona dici putare (pace

Osanni dixerim) absurdum foret. Sed ego plura molior, qui ne postrema quidem illa, ἐγώ δὲ ἐκ πάντων τούτων — ποιήσομαι, Hippiae esse credam. Sunt Clementis: quod quo magis appareat, totius loci continuationem et cum reliquis nexum persequamur. Inde a pag. 618. d. Sylb. Graecorum inter se *poētarum* fūta, si dis placet, recensentur, intermixtis perpaucis ex prosae orationis scriptoribus: haec absolvuntur in ima pag. 623: quod si tenemus, in promtu est intelligere, quid sit quamobrem seriem fūtorum poetarum interrumpat Clemens iis verbis, de quibus agimus. Nempe praeparat transitum ad ea fūta, quae facta sunt ab scriptoribus int̄ se et ex poetis. Itaque, *ne oratio (inquit) mea longius excurrat, comprehendam omnem rem* (i. e. circumscribam argumentum) *paucis verbis Hippiae*, quae ad consilium meum faciunt: tum assert sophistae verba: τούτων ἵσως — τὰ δὲ βαρβάρους: in quibus συγγραφαι significant cuiuscumque generis καταλογάδην scripta, praeter historicā, philosophicā et rhetorica: quamquam potuerint haec omnino excludi, viderit Hippias, vel Clemens, qui sine controversia, ut sequentia ostendunt, exclusit. Sed Clemens ita pergit: ἐγώ δὲ — ποιήσομαι: in quibus verbis nihil est, quod de hoc excursu suo dicere non potuerit, quippe revera κατηχητική et πολυειδεῖ, id est ex variis aliorum sententiis composito, cuius generis scriptionem sophistae vanitas non admississet. ποιήσομαι non tantum ad ea pertinet, quae sequuntur, sed ad praegressa, spectatque totius demonstrationis comprehensionem. Quodsi Hippias dixisset, se ἐκ πάντων τούτων τὰ μέγιστα καὶ διδόντα contulisse, male sententiam orsus esset verbis ἵσως εἰρηται, quandoquidem in hac verborum compositione ἵσως necessario significat *fortasse*. Denique ἐγώ δὲ opponit Clementem Hippiae, quae indicatio, quantumvis necessaria post inserta verba aliena, plane desideratur in sequentibus: ὡς δὲ μὴ ἀμοιρον κτλ. — Postremo promittit Clemens se adiecturum de historicis, philosophis, oratoribus, idque debitum solvit scilicet.

Haec si probabiliter conclusa esse concesserit Osannus,

intelliget cur mihi nondum persuaserit fragmentum Hippiae decerptum esse ex libello archaeologico. Si enim, ut coniicit Osannus, Hippias iactare voluisse, orationis materiem se collegisse ex omni historia deorum, heroum, populorum, hominum, ac poetarum scriptorumque auctoritate apud auditores niti studuisse, profecto non dissidenter, tamquam in dubia re, dicturus erat: *horum fortasse nonnulla cecinit Orpheus* cet. Immo aliud genus arrogantiae latere suspicor, eumque verbis istis usum esse in argumento aliquo, quod ipse de suo amplificare et ornare cogitando inveniendoque potuerit, etiam si alii scriptores eandem rem vel data opera elaborassent, vel obiter attigissent. Hoc argumentum quale fuerit, incerta conjectura est; a qua tamen periclitanda mihi temperare nequeo. Potuit enim Hippias in epilogo orationis, quam Lacedaemon se habuisse gloriatur apud Platonem (Hipp. mai. p. 97. f.) *de studiis quibus adolescentes incumbere deceat*, iis verbis uti, quibus Clemens abusus est. Quamvis enim διάλογος fuit, οὐ λόγος, ut confirmat Philostratus p. 495, ex Platone hoc pertens (ut coniicit Osannus, egoque conieceram in Hist. crit. Soph. p. 191) tamen, finito sermone Nestorem inter et Neoptolemum, potuit sophista ventosus significare, scripsisse fortasse multos de eadem re, aliundeque peti potuisse pracepta erudiendae iuventutis, se vero in illo sermone promisso quae multo hominum ac rerum usu suaque meditatione ipse inventisset.

Ceterum haud dubie Hippias saepe de antiquitate locutus est; quod ego, ut nunc Osannus, confirmavi p. 183 ex Platone l. l. p. 97. e. nec intercedo quominus ista rerum antiquarum scientia *archaeologiae* nomen et honorem consequatur; sed disciplinae formam induisse et dijudicavisse quae vera, quae incerta, quae falsa denique essent, omnino archaeologiam illam suisse, qualem hodie condimus interpretamurque, quoties eo vocabulo utimur, hoc igitur credere non licet, nisi si quis demonstraverit, vetulas nutrices fabellas de rebus antiqui temporis narrantes archaeologas esse. Meram quaerebat Hippias

auditorum delectationem, quod palam eum Plato sic profitem-
tem facit: *περὶ τῶν γερῶν, ὡς Σώκρατες, τῶν τε ἡρώων καὶ
τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν κατοικίσεων, ὡς τὸ ἀρχαῖον ἐκτί-
σθησαν εἰ πόλεις, καὶ συλληβδην πάσης τῆς ἀρχαιολογίας
ἡδιστα ἀκροῶνται.* Videtur iucundus fuisse narrator historiarum
et fabularum, eaque prae ceteris declamasse, quae tum
eventuum et vicissitudinum in rebus, tum in dicente memoriæ
admirationem moverent.

Denique, ne hic quoque sermo *ἐπιπλέον προΐη*, breviter,
sed meis verbis, dicam, non videri Clementem Hippiae libel-
lum novisse. Haud dubie fragmentum illud ex aliquo petuit
vetustiore grammatico, qui aplius usurpavisset, quam Clemens,
homo surax supra Graecos, quos petulanter et imperite ex-
agitabat.

Lugd. Batavorum die 21 Iulii 1843.